



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

II. Vtinam dirigantur vi[a]e me[a]e ad custodiendas iustificationes tuas.  
Psal. 118.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiēdas  
iustificaciones tuas: Psalmus.

G. B. M. v. s. f. e. o.

17.



## I I.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas  
iustificationes tuas! Pſal. 118.

**Q**VO ferar? in tanto deprensa errore viarū,  
Sectum vbi tam vario tramite fallit iter?  
Hæc abit in dextram subit altera semita lauam,  
Illa tumet cliuis, vallibus ista iacet.  
Hæc faciles aditus, aditus habet illa malignos,  
Et quos illa tegit, detegit illa dolos.  
Quoque vel hæc tendat, vel quò se porrigat illa,  
Exitus implexo sine videre vetat.  
Non ita, qua partes via se findebat in ambas,  
Herculis ambiguum fecit euntis iter.  
Nec totidem refluis Maander flectitur undis,  
Ipse suis quamuis obuius erret aquis.  
Nec labirynthæi tanta est fallacia tecti,  
Curua licet varijs flexibus antra tegat.  
Heu, grauiora meos cohibent discrimina gressus?  
En gemina dubiam parte pericla premunt.  
Non ego qua meruam diuortia mille viarum;  
(Solutus Dedalea, qui fuit æde labor)  
Sed præter varios curuis ambagibus orbes,

G 3

Nox



Nox etiam cœcas celat opaca vias;  
 Nullaque se presso monstrant vestigia signo,  
 Quâ populus trito calle, notarit iter.  
 Et licet explorem præteritis obuia palmis,  
 Et vitem obstantes, tubera dura, petras.  
 Vix satis inceptos ausim producere cursus,  
 Sed retinēt timidum noxque dolusque gradum,  
 Lassus ut ignota cum fors regione viator  
 Opprimitur nebula præcipitante diem;  
 Nullaque iam toto collucent sidera Cælo,  
 Nec propè sunt vlla, rustica tecta, case;  
 Nullaque signato callem notat orbita sulco,  
 Vlla nec humano semita trita pede;  
 Nec scit, an in sylvas, an eat ruiturus in undas,  
 Longius inceptam si paret ire viam;  
 Tum validis mutos compellat vocibus agros,  
 Si quis aberranti præstet arator opem.  
 Vique vel è stabulis, tacitisque quis audiat antris,  
 Ingeminat longos, terque quaterque sonos.  
 Omnis at in surdas clamor volat irrius auras  
 Nullaque Pastoris verba remissa sonant.  
 O quis in his tendat mihi stamina fida periclis?  
 Quis Deus, in tanta, sit mihi nocte Pharos?  
 Isacidas quondam per inhospita regna vagantes,  
 Insolitas docuit clara columna vias:

Stella



Stella comes monuit Nabatheos lumine reges,  
 Paruaque Bethlemia duxit in antra domus.  
 Quin recreant trepidos, fratrum duo sidera, nautas  
 Tu quoque mi gemini Castoris ede facem.  
 Gnosis aberrantem reuocauit Thesea filo,  
 Sestaque Leandro fixit amica facem,  
 Ecce ego sum Theseus, vice tu mihi sis Ariadnes,  
 Cumque ero Leander sis vice Sestiados.  
 Aspicias ut multi, vaga turba, per aua currant,  
 Et suis huc, illuc, quemlibet error agat?  
 Hic cadit ignota preceps Regione viarum,  
 Ille vago cecum tramite versat iter:  
 Hic celerat cursus; hic passu deside lentat;  
 Sapius ille suos fertque, refertque gradus;  
 Hic diuersus abit lateri comes ille propinquat;  
 Hic Comitibus ductu fallitur, ille suo:  
 Perpetuos aliquis vestigia flectit in orbes;  
 Alter in obliquas voluitur vsque vias:  
 Hic ratus ad certam cursu se tendere metas,  
 Decepto repetit limina prima pede:  
 Deniq; in errorem facto ruit agmine vulgus,  
 Quodque tenere decet, vix tenet vllus iter.  
 O vtinam, recto tendat mea semita ductu,  
 Nec fraus decipiat tramitis vlla gradum?  
 Qualis at excusso fugit irrenocabilis arcu.



Dum volat ad certum missa sagitta locum;  
Talis inoffenso festinet limite cursus,  
Qua tua nempe monent tendere iussa, via,  
Esto igitur, mea lux, quoties iaculabere, nervus;  
Quemque peres iaculis, lex tua sancta scopus;  
Quaque scopum cupies certus tetigisse sagitta.  
Illa ego sum digitis lecta sagitta tuis.



AVGV.



## AVGVSTINVS

*In solit. cap. 4.*

**O** Domine qui es lux, qui es via, veritas, & vita, in quo non sunt tenebræ, error, vanitas, neque mors. Dic Verbum Domine; fiat lux, vt videam lucem, & vitem tenebras: videam viam, & vitem inuium: videam veritatem, vitem vanitatem: videam vitam, & vitem mortem.

Per-